Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36449
Copyright: Melk, Benediktinerstift

ei beata Ita. Primo consulo ut ad cellam tuam recta via pergas. et occursuram tibi eandem virginem in confinio Laginensium et Mumnensium adire te volentem leta suscipias. Qua prophecia sic impleta invicem leticia perfuse laudaverunt tantam presciencia in beata Ita. Vir quidam occidit proximum suum. et compunctus corde perrexit ad beatam Itam. eius salutari consilio cupiens agere penitenciam. Cuius animum devotum presenciens dixit ei. Si verbis meis perseveranter adheseris. non subita morte finieris. sed cum bona penitencia in sidereas mansiones introduceris. Post hec militari necessitate ducem suum secutus in bellum. impressione hostium pergravatus occiditur inter eos. Quod audiens beata Ita condoluit et ait. Viro illi consiliis meis obedienti. ego feliciorem consummacionem vite promisi. Ite inquit ministris ad stragem illam. et voce mea in dei mei nomine evocate eum nomine suo. et credo eum resurrecturum ad vos. O stupendam fidei potenciam. Illis enim iussa complentibus. surrexit integer a cede velut a sompni requie.

Quodam tempore vir quidam locuples in seculo. talem peticionem intulit beate Ite. Peto inquit sanctitatem tuam quatinus eque mee pariant hoc anno pullos masculos. quorum capita preferant alborem. et reliqua membra ruborem. Que respondit. Non est exiguitatis mee quod postulas. sed creatoris est voluntatem suam facere de creaturis suis. Tunc profundius cepit obsecrare dicens. Pete creatricem omnium colorum per cuncta visibilia trinitatem. quatenus meis coloret pullos meos secundum meam voluntatem. Respondit ancilla dei. Quoniam si credis in deum. erunt hoc anno pulli tui sicut vis. Quo facto gavisus est.

Alio tempore facta est de furto ab abbatissa questio in cella sanctimonialium que dicitur Tairoystrid perpetrato. Cumque per singulas cucurrisset inquisicio. tandem super unam innocentem cecidit tota suspicio. Quod quia abbatisse displicuit. ad beatam Itam referendum statuit. ita inquiens. Pergamus ad sanctam Itam. et credo quod per eius puritatem cognituri simus veritatem. Illis iter aggressis. beata Ita presagavit familie sue dicens. Preparate balneas et epulas. quia Christi ancille ad nos venture sunt hodie. Post hec ille venientes intraverunt per ordinem ad sanctam Itam. sanctis in osculis salutantes eam. Insimulata autem virgo quamvis minime sibi conscia non audebat propius accedere propter obiectum suspicionis male. Cui dixit sancta Ita. Veni innocentissima virgo Christi. et da mihi osculum. Constat enim te non involasse quod queritur a te. Illico virgines ille rogaverunt eam in Christi nomine quatinus designaret eis personam furis. Respondit. Illa que pro alia culpa castigatur apud vos fur est ablate rei. et abscondite intra lignum veli et paramenti abscondit. et rem quidem invenietis integram. sed que abstulit et abscondit in vera integritate non permanebit. sed post corruptores suos abibit. et fronte meretricis secundum prophetam notabilis erit. Hec verba veritatem obtinuerunt. tam in invencione furti quam in pessima actione furis. Vir quidam nomine Fergus cuius filius adhuc superstes est.